Sit omnibus notum, quod ego Petrus des Feix, parrochie de Corçano, filius Guillelmi des Feix et Guillelme quondam eius uxoris, parrochie de Corçano, et Guillelma eadem Petri
uxor, filia Guillelmi Poncii parrochie de Corçano, redemptus et deliberata a domino Guillelmo Poncii clerico obtinente beneficium stabilitum in altari Sancti Jacobi sito in capella castri de
Montilis. De qua redempcione patet instrumento publico confecto tercio idus Februarii anno Domini millesimo CCC° XL° quinto per Bernardum Marini notarium publicum de Montilis. Gratis
et ex certa sciencia et consulto de iure meo recognosco vobis quod ego dictus Petrus sum et esse debeo homo proprius et solidus monasterii Sancti Danielis Gerunde et domine abbatisse eius-
dem cum omni prole ex me descendenti et descendenda et rebus meis mobilibus presentibus et futuris, pro eo quia dictus parens meus erat de eodem dominio racione mansi des Feix par-
rochie de Corçano qui erat proprium parentum meorum et nunc est mei et dicte Guillelme uxoris dicti Petri. Et ego dicta Guillelma uxor dicti Petri recognosco et facio me feminam
propriam et solidam dicti monasterii et domine abbatisse eiusdem cum omni prole ex me nascitura et rebus meis mobilibus presentibus et futuris pro eo quia adquisivi et habeo dominium
utile dicti mansi et terrarum et possessionum eiusdem ex donacione predicta michi facta per Bernardum Cuffini tabernarium Gerunde, cui advenerat dictum dominium ex empcione quam fe-
cerat a curia Gerunde vendente ipsum mansum ac terras et possessiones eiusdem ad instanciam creditorum dicti mansi. Et ideo promitto dicto monasterio et vobis do-
mine Elicsendi Dei gracia abbatisse dicti monasterii, licet absenti, et Bernardo Oliba clerico dicti monasterii procuratori vestri dicte domine abbatisse presenti, et notario infrascripto tanquam
publice persone nomine omnium quorum interest et intererit quod erimus vobis dicte domine abbatisse ac dicto monasterio et successoribus vestris in dicto monasterio boni fideles et legales de
corporibus et avere et de omnibus iuribus dicti monasterii sicut boni homines esse debent suo bono domino naturali. Et non intrabimus causa habitandi aliquod castrum villam civi-
tatem vel alium locum privilegiatum, nec aliquid aliud faciemus racionibus vel procurabimus occulte vel manifeste propter quod possitis ius dominium ac dominacionem
quod habetis in nobis rebus meis habitis et habendis amittere et alius possit adquirere quoquomodo. Preterea hoc facio in presenti homagium quod ego dictus Pe-
trus ore et manibus et ego dicta Guillelma manibus comendatum Bernardo Oliba procuratori vestri domine abbatisse vestro nomine recipienti. Cui procuratori ego dicta
Guillelma trado instrumentum redempcionis mee. Promittentes dicte domine abbatisse et dicto procuratori vestro et notario subscripto tanquam publice persone nomine omnium
quorum interest et intererit legitime stipulanti et recipienti et sponte iurantes per Deum et eius sancta quatuor evangelia a nobis corporaliter tacta predicta
omnia rata grata et firma habere et non contravenire aliqua racione. Actum est hoc quartodecimo kalendas Augusti anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo
sexto. Sig+num Petri des Feix. Sig+num. Sig+num Guillelme eius uxoris predictorum qui hec firmamus et laudamus predictique iuramus. Testes huius rei sunt
Bernardus de Ruppe, Bernardus Marcial, commorantes Gerunde.

Sig+num Raymundi de Bruguera notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Toyano publico Gerunde notario, qui hoc scribi fecit et clausit.

N.º 1 del ... de Corça

AC[illegible] 07

[illegible] en lomas [illegible]

de [illegible]

T. 260 x 380

19-7-1346

841

n.º 801

98. [illegible] lib. 21 p. 96